JEHOVA BENIGNE' ADNUENTE,

*Magnifico JureConsultorum Senatu concedente;*

Hanc

Disputationem Theorico-Practicam,

# DE TRIBUTORUM, ET COLLECTARUM INDICTIONIBUS.

*FRETUS PRÆSIDIO*

*Nobilissimi, Magnifici, atq; Amplissimi Viri,*

DN. DOMINICI ARUMÆI, Hæreditarii in Lobedaw/& Jeschwitz/ JCti Celeberrimi, Professoris P. & de hâc Salanâ optimê meriti, Juridicæ Facultatis Senioris, Consiliarii Saxonici, nec non Curiæ Provincialis, & Scabinatûs Adsessoris dignissimi, Patroni, Promotoris, & Hospitis mei, summo honoris, & observantiæ cultu prosequendi.

*Publico, placidoq; examini submittit*

MICHAEL Lehnman/

Zittaviâ-Lusatus.



*In Auditorio JCtorum,*

Ad diem Octobr.

*JENÆ,*

TYPIS STEINMANNIANIS,

ANNO cIↃ IↃ C XXXI.

Magnifico, Amplissimo, et Consultissimo, Dno F... co Newenhanig J.V.D clarissimo, Consiliar... burgico honoratissimo, Patrono, et Fautor... omni observantia et honoris cultu ... mittit Michaël Lehnman Autor, et Respondens ...

*Perillustri, ac Generosissimo Comiti, ac Domino,*

# DN. LUDOVICO GÜNTHERO,

S. Romani Imperii Quatuorviro, Comiti in Schvvarzburgk, & Hohnstein, Dynastæ in Arnstadt, Sondershausen, Leutenberga, Lora, & Clettenbergk,

Domino meo clementi, & gratioso:

*In signum subjectionis, debitæ gratitudinis, ulterioremq́; mei recommendationem;*

Hoc Exercitium publicum Offero, & Consecro

Michaël Lehnman/
Zittaviâ-Lusatus,
A. & R.

# CUM DEO.

## *POSITIO I.*

CUr ea, quæ quotidiana ſunt, altiori mentis indagine ſcrutanda ſint, & plus, quam vulgari diligentiâ expendenda, cum tàm per ſe pateat, quàm à multis hactenus fuſiùs, & erudite demonſtratum fuerit, lubentes eò nos rejicimus, & in illorum deductionibus adquieſcimus.

2. Magis quotidiana verò hodiè cum nobis nulla ſint, quam Siniſtrum mundi Brachium, cum omnia formidabili tubarum, armorumque crepitu, nonnullis efferis, æquum rectumque nequaquam curantibus, & bombardarum tonitru, Marte imperium ſuum ubique dilatante, ſint repleta:

3. Non parùm commodi allaturum fore puto, ſi quædam pro temporis, & pro inſtituti ratione pauca, DE NERVIS REIPUBLICÆ, ſed quinam illi? cum maximo noſtro incommodo nobis optimè cognitâ materiâ, DE TRIBUTORUM ET COLLECTARUM EXACTIONIBUS proponamus.

4. TRIBUTUM verò, *(ut primùm de voculæ Etymologiâ, & Homonymiâ nos inſtruamus,)* olim tributus, *Gellio autore,* vel à tribu, *ſecundùm Varronem*, populi Romani diviſione primâ à Romulo inſtitutâ, *ſi Plutarcho credimus,* vel à Tullio, *ſi Halicarnaſſæo fides habenda*, de quibus tribubus *vide latè differentem D. Hilligerum in Donell. Enucl.*, vel à tribuendo, *Feſto monente*, deducitur.

5. Quod vocabulum varias ſortitur ſignificationes: propriè tamen *pretium, pro invectione, & avectione mercium impoſitum* denotare, *ex Sixtino, Magnificâ authoritate, Juriſq; peritiâ clarus Dn. D. Arumæus, Præſes, Promotor, & Hoſpes meus, omni obſervantiæ, & honoris cultu proſequendus, in Diſcurſ. Academ. Juris Publ. adnotat.*

6. Nec deſunt Synonima, ſolent enim in eâdem ſignificatione uſurpari vocabula: Cenſus, Indictio, Canon, *(qui olim Su-*

*perindictum dicebatur, sed cum speciem Tyrannidis referret, à Cæsaribus nomen sublatum est,*) Publicæ Præstationes, Pientissimæ Præstationes, Largitionales tituli, Functiones, (*seu mavis Fusiones cum Rævardo,*) Vectigal fixum, Reditus, Rentæ &c.

7. Nec longè aberrant: Gabella, Dacia, Talia, Passagium, Pontivegium, Guidagium, Vectigal, Angariæ, Parangariæ, Aurum Coronarium, Auri argenteum, Centesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ, Vicesimæ, Collecta, Stipendium &c.

8. Quæ voculæ omnes in Jure hoc in significatu frequenter reperiuntur. Nec etiam Interpretes dissentiunt, sed potiùs amicè conspirant, ut sunt: Cujacius, Gœddæus, Ernestus Cothmannus, Eberhardus à Weihe, Rævardus, Glocken, Clapmarus, Bodinus, Tacitus, aliique.

9. Rectissimè tamen differentiam observat inter Tributum, & Vectigal, Magnif. Dn. Præses, quod *Tributum* sit *pensitatio, ratione bonorum immobilium à possidente pendenda, Vectigal rerum mobilium,* utpote mercium, & similium.

10. Nec non inter tributum, & Collectas, *ex Germ. respons. varior. Consil.* insignis ille JCtus à Weihe, quod *tributum ordinarium* sit, *& certam formam habeat, Collectæ* sint *extraordinariæ, & certâ formâ destituantur.*

11. Uti etiam inter Stipendium, & Tributum, ex Gœddæo, cum *tunc demum Tributum Stipendii nomine venire possit, quando militibus destinatum fuerit.* Quæ tamen differentiæ ab Interpp. adeò scrupulosè non observantur.

12. Definimus autem TRIBUTUM in genere, quod sit *onus reale, personis, pro rebus impositum*, seu cum Magnif. Dn. Præside mutatis verbis, sententiâ manente: *Munus reale, patrimonii intuitu præstandum.*

13. Originem TRIBUTI, quod attinet, ei æqualem cum Imperiis adscribit Glocken, ut tàm pacis, quàm belli tempore res civium in tuto esse possent, & ita primò propter subditorum utilitatem, quod quomodo sequentibus temporibus inversum, & immutatum fuerit, infrà patebit, *quod ipsum nobiscum Gailius conqueritur*, ut ita hodiè potius Principp. inserviant, & eorum causâ primum introducta fuisse videantur.

14. Nec

14. Nec desunt vestigia census in sacris Pandectis, Dei enim jussu censebatur populus Hebraicus, & quisque dimidium sicli solvebat, pro animabus, ne esset plaga inter eos, postquam fuerint recensiti, quæ tributi species hodiè Turcis maximè familiaris, *Schönborneri testimonio*, quæ tamen ut nimis gravis in Imperio à Constantino sublata est.

15. Quibus itaque fundamentis *aliqui cum Halicarnassæo* capitationis, seu tributi capitis originem primam ad Tarquinium Superbum referant, qui pro capite cujusque decem denarios exegit, non video.

16. Hoc ulterius per tempus obtinuisse, ut viritim censerentur subditi, quousque Servius Tullius Rex, primus pro possessione pecuniarum instituit, rem tanto futuro Imperio saluberrimam, *post Livium, Polidorus Virgilius adfirmat, & confirmat*, quæ forma census per orbem terrarum adhuc incognita erat, *Eutropio attestante.*

17. Fine in censendo facto, LUSTRUM CONDITUM appellabatur, unde Romani PER LUSTRUM numerare cœperunt, & vectigalibus, tributisque solutis, fiebat sacrificium, civitatis purgandæ causâ, *benè adnotante Polidoro Virgilio.*

18. Divisio TRIBUTORUM, ferè omnium, qui de hâc materiâ aliquid tradiderunt, est communis, ut dividant in ORDINARIA, & EXTRAORDINARIA.

19. ORDINARIA *cum præclaro JCto*, *Dn. Heigio* definimus, quod *à Lege & Principe constituta, certam, annuamq; præstationem habeant.*

20. EXTRAORDINARIA *Nic. Reusner. post Bald. Bart. aliosq;* ea esse dicit, *quæ non, nisi publicâ necessitate vel utilitate postulante extra ordinem indicuntur,* Et sunt: vel IMPERIALES, vel PROVINCIALES, Hæ iterum: vel CAPITIS, vel POSSESSIONIS.

21. ORDINARIA tributa, si jam omnia recensere velimus, quotquot eorum omni tempore à Principibus aurum sitientibus fuêre excogitata, vix hæ pagellæ omnes eorum enumerationi sufficerent, maximè tamen communia hæc habentur:

22. Häuptgelt/ Brückengelt/ Weggelt/ Uffschlag / Schurgelt / Freygelt / Ungelt / ungemessene Dienste in Italia, à mendicis, Berck-

gelt / Schlägelschatz / Anflössung / Forstgelt / Mahlschwein / Lastgelt / Balckengelt / Mastbaumgelt / Mastgelt / Schoß vnd Steuer etc.

23. Et quæ rustici utplurimùm pendere solent, *ut sunt:* Fruchtgelt / Weingelt / oder etliche Faß Wein / Weinkauff / Todfell / Weidmahl / oder das beste Häupt aus dem Viehe / Bett / Bodenzinß / Erbzinß / Pfluggelt / Rottgelt / Trifftgelt etc.

24. Item Decimæ Clericorum, Zehenden vom Fleisch / Wein / Korn / Erbsen / Flachs / Kraut / Decimæ confecti aluminis, Vectigal Salis, Boum, & Corii, Vieheschatz / Scheffelschatz / Hufengelt / Bawholtzfuhre / Tranckstener / Schornstein-oder Camingelt / Sparrengelt etc.

25. Ut ita nulla ferè res amplius sit, quæ usibus humanis inserviat, licèt sit minima, de quâ non suum quoque petat Magistratus, & colore, seu prætextu novi nominis, tributum ejus introducat, *uti non minus verè, quàm eruditè disserit Rosenthal. de Regalibus.*

26. Hancce corruptam consuetudinem non nostrâ ætate solùm irrepsisse, sed superioribus temporibus non minus in usu fuisse, Pompeii exemplum, (*tributo variis modis, ad novem ferè milliones auri duplicato, Ambros. Sciappal' aria teste,*) demonstrat.

27. Vectigal Judiciarium à Caligulâ introductum, (*quadragesimam scil. summæ, de quâ litigabatur,*) *Cyro Spontone adfirmante creditur.* De Aquæductus, Cloäcarumq; vectigali *peculiaribus constitutionibus* disponunt Impp. Theod. & Valent. Imò vectigal urinarium Caligula & Vespasianus exegerunt, *attestante Suetonio, in Vespasiano*, hinc illud: LUCRI BONUS ODOR IN RE QUALIBET.

28. Pro umbrâ Platani, pro aëre, & cœlo vectigal solutum, *ex Plinij naturali historiâ referunt Cujacius & Clapmarus.* Imò de vitiis & nive venditâ vectigal solutum est, *si Gilbert. Cognato, & Parlodoro credimus.*

29. De singulis fenestris in Lotharingiâ hodiè etiamnum tributa solvi, ut & de singulis tegulis in Galliâ, *Adrianus Turnebius adnotat.*

30. Insuper in Gallia tributum turpissimum ex mercaturâ honorum sumi, *Doctissimus Bodinus, aliàs egregius & acerrimus suæ nationis defensor, ipse adserit,* ut mirandum sit, cur in hoc ipso tantam, & tâm insignem maculam patriæ suæ adsperserit.

31. Nec

31. Nec aliquorum locorum consuetudo inter Christianos minimè Christianâ est adprobanda, ubi pro funeris transvectione, *Cujacio & Heigio referente*, nec non à defunctis, sepulchris nimis carè venditis, tributum exigitur. *Hospinianus de origine Cœmiteriorum.*

32. Imitata forsitan Vespasianum, qui à mendicis, & aliàs à divinis & humanis tributum petiit, & pecuniam fecit, *adnotante Dione ex Xiphilino.*

33. Tàm familiare est Principibus, ut egentes, ad sublevandam inopiam, injustè tributa excogitent, & manus alienis rebus injiciant, *benè monente Vincentio Costalio.*

34. Ut ita Pisistrati vestigia, tributa remittentis, premant pauci. *Plutarch. in vitâ Pisistrati.* multò plures Pescennii Nigri, qui, Palæstinis rogantibus, ut ipsorum censitio levaretur: Vos, inquit: terras vestras levare vultis, ego etiam aërem vestrum censere cuperē, *Ælio Spartiano teste.* & Vespasiani Imperatoris, qui subditos instar Spongiarū se habere, liberè confitebatur. *Suetonio in ejus vitâ notante.*

35. Extraordinaria quod attinet, & illa jam essent enumeranda, nisi tot excogitata hactenus fuissent, quot ferè vocabula, materiam hanc describentia, potuissent excogitari, insuper vereor, ne etiam definitio à nobis suprà tradita *thesi 20.* nimis angusta deinceps videatur.

36. Quo enim Jure, quibus privilegiis muniti, & cum quînam Reipub. utilitate, milites collectas innumeras, & immensas præteritis annis à subditis exegerint, mei ingenioli non est decidere; veritatis enim Sectatores, licèt Deo placeant, *secundùm gl. & Hieron. Giacherinum*, mundo tamen semper fuēre invisi.

37. Ab Interpp. tamen hinc inde sequentes vulgò recensentur: Reichssteuer/oder des H. Reichs Anlagen/Kreyssteuer/Landsteuer/Türckensteuer/Römerzugk/Gemeiner Pfenning/(Reichsabschied *de anno 1494, 1500, 1542, 1544, 1548, 1551.*) Fräwleinsteuer/Regem tamen Galliæ pro elocandis filiabus non solere subditis collectam imponere, *Boërus adserit.*

38. Huc etiam referri debent Annatæ, à Germanis Principp. olim Pontifici concessæ, quæ tamen, cum in alienum, non primitùs prætensum usum à Papâ converterentur, iterum in Conventu

ventu Imperii Norimbergensi, Anno 1522. à Principibus denegatæ, & revocatæ sunt, *de quibus vide Magnificâ eruditione, scientiâq; Politicâ Præclarissimum Dn. Hortlederum, Consiliarium Aulicum Vinariæ, Dominum, Hospitem, & Promotorem meum, summo honoris, & observantiæ cultu mihi prosequendum.*

39. Item Abzug / vnd Nachsteuer / Willkomschatz / Bettelschatz / Benevolentia, subsidium Regis Angliæ, Soldatengelt / (*sub quo omnes reliquas exactiones comprehensas volo, uti Ranzion* vor Plünderung / *Commiß* von Brot / Bier / Fleisch / etc.)

40. Pecunia autem, hodiê militibus contribuenda, (*quod vocabulum propter frequentem usum, rusticis, non sine maximâ eorum indignatione, perquam familiare est,*) rectissimê collectarum nomine venit, omnia enim bona pauperum subditorum simul cum eâ colliguntur, agri depopulantur, illique ad extremam rediguntur inopiam, quod omnes ferê Romani Imperii anguli, plus, quam verê, hactenus sunt comperti, & adhuc comperiuntur.

41. Romanorum legibus, *quæ ad nos fuêre translatæ*, cautum erat, ut iter facientes per alienos agros, demissam & supinam hastam, non rectam ferant, quo fructus illæsi servarentur. *l. 7. qui sella. ff. de servit. rustic. præd.* item, ne arbores alienas cæderent, fructuum decutiendorum causâ. *l. 2. l. 5. cædere. ff. de arb. furt. cæs.*

42. Hodiê superiori cuidam, vel Principi liberum non est, cum Lysandro à Bæotiorum exercitu transeunte quærere; hastisnê rectis an inclinatis per agros suæ ditionis incedere animus esset, cum omnia loca, per quæ transeunt hi milvi & gryphi, corvis & felibus rapaciores, sua esse opinentur, quasi propria vindicent, & quamdiu ibi morantur, verê possideant, veros Dominos, quasi suos curatores secum habeant.

43. Perpauci enim hoc tempore sunt Pompeii, qui milites in profectionibus ab itinere deflectentes, (*mittebatur tum temporis à Syllâ in Siciliam*) suppliciis adficiant; Pauci Trajani, de quorum adventu vel transitu sibi Plinius (*in Panegyrico*) gratulari possit, quod nullus in exigendis vehiculis sit tumultus, nullum circa hospitia fastidium, annona quæ cæteris.

44. Nam taliter civium bona pressa, & expressa videmus, ut vix supersit succus, quem hauriant, olera taliter abscissa, ut vix

radix

radix manserit, taliter pennæ incisæ, ut vix renasci possint, *rectè ex Dn. Præside & Clapmaro repetimus.*

45. Ita modernorum militum plerique, in itinere manibus, in pugnâ pedibus utuntur, quorum parvus est usus, *monente Catone, & referente Plutarcho, in vitâ Catonis Censoris.*

46. Respublica quidem conservari nequit, *Justiniano Imperatore tradente*, nisi pientissimæ præstationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriantur copiæ, ut hostibus resistatur, ac per urbes & agros agantur excubiæ, perfruantur reliqui ordines attributis salariis, reparentur muri & urbes, denique omnia alia inde proveniant, quæ subditis universis proficua.

47. Hinc à permultis varia conficiendi ærarii remedia fuêre proposita, & excogitata, *in quo negotio Bodinus operam navavit*, & septem media *in thesi subsequenti adnotata*: ad hoc, expediendum salubria, *suâ opinione*, invenit, & recensuit, *huic tamen nostræ ætati & seculo minimè accommoda, & inservientia.*

48. Nam quoniam (1) agrorum publicorum, propter illatas devastationes, & deprædatos, spoliatosque agricolas, usus ferè nullus, (2) amicorum largitiones paucæ. (3) Sociorum vectigalia & tributa exigua. (4) Mercaturæ negotia, propter prædonum, eos invadentium frequentiam, rara, & proinde (5 rerum invectarum & avectarum vectigal nullum, *tandem* (6) subditorum tributa, & (7) hostium spolia, *si, tamen omnes*, (inspectâ hostium definitione, & l.24. ff. de capt. & postl. revers. & l.118. ff. de V. S.) *qui hactenus deprædati sunt, hostium nomine veniunt*, illud resarcire tenentur.

49. Quinam hactenus de facto exegerint, vidimus, paululum, restat, ut inspiciamus, QVIBUS DE JURE EXIGENDI FACULTAS COMPETAT.

50. Et quidem DE ORDINARIIS tributis non tanta est decidendi difficultas, cum per se facilè patere possit, eorum exactionem spectare *ad territorii Dominos*, hoc est, eos, Jus in suis provinciis & ditionibus illud tributum, vulgò Schoß vnd Steuer / singulis annis repetendi, & nisi subditi lubentes solvant, mediis coactivis poscendi habere, *Wintzlero fusiùs demonstrante.*

51. Nec immeritò cum illis etiam deinceps cura incumbat,

 eos

eos à quibusvis bellorum, factionumvè injuriis defendere, & ut securo, & quieto fruantur otio, prospicere, *de quo supra positio 13. pluribus.*

52. EXTRAORDINARIA verò, ut Collectas, suprà *th. 20. in Imperiales,* Reichßsteuer/ *& Provinciales* Landsteuer, distinctas fuisse, reminiscimur. Hinc primò DE IMPERIALIBUS, ubi non dubium, cum Cæsar Imperii Monarcha, Dominus, & Caput sit, quod ei Jus indicendi, EX PLACITIS IMPERII, ET STATUUM VOLUNTATE ATQUE CONSENSU, competat. *post Gailium, Dn. Arumæus, aliiq́.*

53. Aliàs secùs, *Albino ad acta Pacificationis Coloniensis demonstrante*, hinc clausula in recessibus maximè usitata: Darüber wir uns mit Ihnen/ und Sie hinwieder mit uns vergliechen/ quod etiam in Galliâ, *Bodino*, in Hispaniâ, *Parladoro*, in Daniâ, Angliâ, Hungariâ, Poloniâ, *Heigio confirmante*, obtinere creditur, ut non, nisi cum Procerum consensu collectæ imponi possint.

54. Et rectè, cum nullus Imperator, Rex, Princeps, vel quicunque alius sit, subditis suis tributum unius teruntii sine ipsorum voluntate imponere possit, nisi violentiâ & tyrannide uti velit, *Cominæi authoritate* adserimus.

55. Hinc blandis: *Subsidii, Subventionis, Auxilii, Adjutorii, Æquipollentiæ*, &c. (*qui novissimus terminus in Silesiorum contributione primò denegatâ, tandem ad subditorum animos molliendos, consensumq́ facilius impetrandum, usurpabatur,*) non durioribus: *Tributorum, Impositionum, Exactionum*, &c. vocabulis eos uti, *quotidianâ experientiâ teste, Glocken in suo tractatu refert.*

56. Et hoc Jus collectandi generale AD REGALIA, SEU AD JUS MAJESTATIS pertinere, *rectè Schurffius, & Knichen, cum Bartolo adfirmat,* non tamen ad majora, sed AD MINORA, *cum Magnif. Domino Præside*, (quod sine capitali fraude adfirmari non posse statuit Bodinus,) non verò ad merum Imperium, zu der Fraislichen Obrigkeit / *uti Baldus, & Eckhardus absq; fundamento tradunt.*

57. Superioritatem quoque, & Imperium, *regulariter ex* Jure collectandi probari, *cum Cardinali Albano, Mascardo, Natta, Eberhardo à Weihe, Theodoro* Reinking, *aliisq́* adserimus: cum

Juris-

Jurisdictio sit fundamentum onerum & Collectarum, *secundùm Decium*.

58. Quod tamen perpetuum non esse, sed non rarò aliud, quàm subjectionem per tributi præstationem posse significari. *vult Petrus Gregorius.*

59. Cui non leviter suffragatur Reinkingk/ *enumerans genera Exemptionum*; refert, Belgicas & Burgundicas provincias salvâ exemptione contribuisse Imperio.

60. Nec non *Andr. Knichen*, qui territorii probationes novem adducit, nec unam solam ex iis sufficere ad plenariam probationem, expreßè statuit.

61. Et hæc de Imperialibus. PROVINCIALES verò ad certas provincias referuntur, seu *ab iis exiguntur, qui sublimem Jurisdictionem habent*, vulgò Hohe Lande Obrigkeit / *secundùm Rosenthal*. quę variis ex causis, non tamen nisi maximè necessariis indicuntur. *post Bodin. Magnif. Dn. Præs. qui plurima etiam exempla adducit.*

62. Et hæ etiam *urgente summâ neceßitate* civibus à Consulibus imponuntur, *Bartolo, & Dd. communi reßponso suffragante*, quicquid tandem aliqui, de regalibus, privatis non concedendis, oggenniant.

63. Quod in tantum sese extendit, ut quævis etiam communitas, seu societas sibiipsi collectas imponere possit, *cujus rei exemplum habemus in Magnifici, & Amplißimi Dn. Hortlederi tomo*; Von Ursachen des Teutschen Krieges / ubi socii fœderis Smalcaldici, sibiipsis collectas ejusmodi, ad comparanda defensionis suæ necessaria, imposuêre. Item in fœdere Norimbergensi, huic contrario, à Carolo V. ejusque sociis collectæ instituuntur, *confirmante authore honorificè nominato.*

64. Illæ tamen subditis sic debent indici, ut coram Deo, & Cæsareâ Majestate possit excusari, novimus enim non solùm gravissimè à Deo Magistratum propter frequentiores & nimis graves exactiones punitum esse, & injustas exactiones authoribus semper perniciosas fuisse, *Petrus Gregor: aliiq; demonstrant.*

65. Sed etiam exemplum Galeacii, I. Vicecomitis Mediolanensium, qui apud Imperatorem Majestatis accusatus, quod tributa subditis sine Imperatoris concessu, & nullâ urgente ne-

 cessitate

cessitate imperâsset, ab eoque damnatus, ac diuturno carceris squalore necatus est, *Bodino teste.*

66. Insuper nulla alia causa defectionis tribuum Israëlis à Robeamo Rege fuit, quàm gravium operum impositio, & oppressio populi, *uti in sacris literis adnotatum nobis relictum est.*

67. Nec Hungari aliam ob rationem Matthiam Corvinum, in medio regni cursu, destituerunt, quàm quod exhausto per longa bella ærario, ad nova vectigalia, & tributa cogeretur confugere.

68. Gallos in Ludovicum X I. bellum excitâsse ad avertendas exactiones, cui BONI PUBLICI nomen prætexuêre, *ex Arnisæo Magnific. Dn. Arumæus adducit.*

69. Ab Hispano Belgas separâsse, quod Dux Albanus omnium rerum Decimam exegerat, *Idem ex Chytræo confirmat.*

70. Infelix itaque Princeps! misera itaque Respublica! in quâ subditi Domino non nisi ob salaria serviunt, & à Domino non nisi ob servitia amantur, & proteguntur: Cum nunquam stabilis fuerit inter homines amor mercenarius. *rectè exclamat Guevarra.*

71. Rectiùs ergò & longè consultiùs fecêre Romani, qui Jus illud remiserunt, & bello Punico Secundo pecuniam mutuò sumere à civibus maluerunt, quàm tributum extorquere.

72. Rectiùs Marcus Antoninus Philosophus, cum ad bellum Marcomannicum omne ærarium exhausisset, potius in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum Imperialium, aurea pocula, vestem uxoriam sericam, &c. vendendas, quam collectas subditis imponendas censuit, *uti ex Livio, & Julio Capitolino, à Magnifico Dn. Arumæo refertur.*

73. Exigi tributum & collectas *ratione possessionis*, vidimus *suprà Positione 50, 52, 61.* & proinde Emphyteutæ, Vasallo, Colono, Annuis reditibus, eo loci, ubi debitor moratur, in tempore necessitatis, ad abigendos hostes &c. rectè collectæ imponuntur, *Licèt propter duplex onus hisce impositum, in contrarium quædam adducat Wenzlerus, aliiq;.*

74. Nec ab hâc Collectarum impositione ulli immunitatem concedere potest ipse Imperator, cum illa concessio in totius

Imperii

Imperii præjudicium vergat *secundùm allegatos authores communiter.* Caveat itaque Principum quivis, ut uniformis sit contributio nec per bonam, malamvè gratiam hi subleventur, illi premantur. *ex Schönbornero admonet Dn. Præses.*

75. Hinc Clerici, Ecclesiarumque ministri, si quid possideant immobile, ab hoc onere non relevantur. Imppp. Honorii, Theodosii, & Constantini constitutionibus suprà hoc promulgatis: a receptione verò militum transeuntium, uti & à capitationis tributo, & similibus, *in thesi præcedente designati* sunt immunes, Imp. Constantino rescribente.

76. Clerici autem Magistratus, ut sunt: Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, &c. omninò non solùm ad Extraordinarias Contributiones, sed etiam ad receptiones militum aliaque onera tenentur, *attestante* R. A. tàm quoad præceptum, *de anno 1542.* §. Damit aber solcher / *ibi* daß die Geistliche *etc.* quàm quoad effectum, *de anno 57. 66. 82. 94. 98. 603.* nec injuriâ, cum eorum ditiones ditiores plerumque sint secularium.

77. Legatos autem, Officiarios aulæ Cæsareæ, Professores, Nobiles, &c. exemptos à collectandi munere pronunciârunt Imppp. Constantinus, Theodosius, & Honorius.

78. Quod tamen hodiè in Germaniâ, præsertim circa nobiles non observatum iri crediderim, *cum Alexand. Guag. licèt ille de Poloniæ consuetudine antiquam observationem adnotet.*

79. In nundinis etiam antiquitùs vectigal non solutum, ex Valente & Valentiniano Impp Baldus deducit, item de alimentis, præsertim pauperum idem dispositum esse, *in nostris legibus & constitutionibus reperimus.*

80. Quod tamen cum naturâ Principum, novitatum & mutationum avidâ, *( præsertim si cum commodo proprio conjunctæ fuerint )* hodiè maximè mutatum est, & à viridi observantiâ fori recessit, observatâ potiùs Theodosii & Valentiniani constitutione, *de immunitate nulli concedendâ.*

*Et hæc, de hâc materiâ nimis perplexâ, & diffusâ, quoad præsens tempus, sufficiant.*

# Corollaria.

I.

Vectigalia, à Carolo IV. abalienata, optimo titulo ab Electorib. & Principp. possidentur.

II.

In Imperatoris electione, nullum ab hâc vel illâ Principum domo, potest allegari Jus, nulla præscriptio.

III.

Ad Imperatoris plenariam potestatem non necessaria est confirmatio Pontificis.

IV.

Impp. Romani, licèt sese juramento ad fundamentalium LL. observationem adstringere necessum habeant, nihilominus tamen Monarchæ reverà sunt, & rectissimè dicuntur. (*contra Bodinum.*)

Quàm

QVàm Tua ſit varias mens informata per artes,
Lehnamnne, hæcce tuo propriò, confecta cerebrò
Omnibus inſinuant, doctrinæ ſigna politæ
Sunt, Ideò alma Tibi Virtutis, & Artis honores,
Patria, quæ multis ſemper cumulata, rependet.

*Commenſali dilectiſſimo benevolentiæ c.*
*adſcripſit Præſes*

D. D. Arumæus.

---

AD EUNDEM.

ERgò iterumq; iterumq; ſubis *Lehnmanne* palæſtram,
Sæpiùs ex Cathedra Victor abire paras.
Euge ſui ſpondet tibi Dice digna favoris
Præmia, ſors votis annuat æqua tuis.

*Joh. Suevius D. & P. P.*

---

*Præſtantiſſimo, & Eximio*

DN. MICHAELI LEHNMANNO,
diſputanti publicè,
Fautori ſuo honorando.

PRoximus ad portam ſtas, ô *Lehnmanne*, paratam
A Themide, incæptam ſcandere perge viam.

Scandere

Scandere perge viam incæptam, portamq; paratam
Ingredere, en! porta, & sparta parata tibi est.
Porta tibi meriti latè aperta patebit honoris,
Quando teret citiùs digna brabea Themis.

*f. raptim*

*M. Johan. Zeisoldus,*
*Colleg. Phil. Adjunctus.*

*F I N I S.*